



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

III. De Justitia, & varijs ipsam concernentibus. Remissivè.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

perniciosa animæ, passim reprehendit Scriptura Sacra, & vel maximè Christus Dominus *Matth. 6.* dicens: *Ne solliciti sis anima vestre, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini, & alibi.*

Non prohibetur moderata sollicitudo temporalium.

Sollicitudo futurorum, quæ?

De his remissivè.

Temperantia, quid?

19. Cæterum prædictis verbis prohibetur solum inordinata temporalium Sollicitudo; id est, ea, quæ est conjuncta cum nimio affectu temporalium, nimiaque mentis occupatione, & anxietate in ijs corradendis, & conservandis. Siquidem moderata sollicitudo & provisio temporalium, quæ fit absque nimio ad eadem affectu, cordisque anxietate, non solum non est prohibita, sed etiam commendatur, *Proverb. 6.* ibi: *Vade ad formicam, o piger. Et Proverb. 10. Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem aestate fertur, filius confusionis.* Huc facit illa generalis maledictio, toti humano generi data *Gen. 3.* *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.*

20. Tandem *Sollicitudo futurorum* est species quædam Sollicitudinis temporalium; & consistit in nimia animi occupatione circa futura, maximè ut vitæ necessaria habeantur, quæ est conjuncta cum cordis anxietate, & parvâ fiduciâ Divinæ Providentiae: ut cùm quis plūs justo sollicitus est de viœ, vestitu, aliisque rebus necessariis in futurum annum, mensem, vel diem.

Q U A E S T I O III.

De Justitia, & varijs ipsam concernentibus.

21. Materia præsentis Quæstionis commodiùs examinabitur *Ministerius. Distinctione sequenti, Quest. I. & II.*

Q U A E S T I O IV.

De Temperantia, & annexis Virtutibus.

22. **C**ONCL. I. *Temperantia* est virtus refrænans inordinatos appetitus & concupiscentias corporis, præsertim circa gustum & tactum. Ita communis. Dicitur notanter, *præsertim circa gustum & tactum*: quia Temperantia propriè dicta proximè versatur in moderandis voluptatibus gustus & tactus, quæ solent oriri ex esculentis, poculentis, & venereis. Unde nemo propriè judicatur intemperans, qui immodicè delectatur in contemplatione rerum naturalium, in honoribus, in picturis